



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

3. Quomodo nos, imitatione Dei, possimus gloriam expetere?

urn:nbn:de:hbz:466:1-45699

Pfal. 18. 2. *est timor meus?* Quod & Dauid jubet: *Afferte Domino gloriam & honorem, afferte Domino gloriam nomini eius.* Et humilis corde, **Ioan. 13. 13.** Christus laudantes se laudauit cum diceret: *Vos vocatis me, Magister & Domine, & benedicitis.* Periculosum est quidem sibi place-
S. Augustin. re, sed illi, cui cauendum est superbire, vt ait S. Augustinus, non
in Ioan. tra 6. illi, cui vndequaue excellentissimo signa, vel testimonia excel-
58. lentia debentur. Quòd autem Deus à nobis gloriam suam expe-
 rat, non est aliquid inordinatum. Ille enim, qui super omnia est,
 quantumcumque se laudet, non extollit se. Quamquam hoc
 ipsum jus honoris, quod habet, non propter suum, sed propter
 nostrum bonum expetit. Nobis enim prodest, Deum nosse, non
 illi. Quis autem eum cognosceret, si non se ipsum indicasset, qui
 nouit? Non potest autem se ipsum indicare, nisi laudando. Est
Pfal. 47. 2. enim *magnus Dominus, & laudabilis nimis.* Et si ergo se laudet, &
95. 4. 144. 3. gloriam suam quærat, & postulet, non quærit tamen illam pro-
 pter se, quasi ea indigeret; sed propter nos, vt nos eà cognitâ in-
 amorem illius exardescamus, eumque amantes ad veram æter-
 namque gloriam perueniamus; juxta illud: *Affer filios meos de lon-
 gino, & filias meas ab extremis terra. Et omnem, qui inuocat nomen
 meum, in gloriam meam creauit eum.* Quid enim est gloria Dei ex-
Isa. 43. 6. terna, nisi clara eius cum laude noticia? per quam si eum vt lau-
Vide infra dabilem cognoscimus, accendimur ad eum amandum, ei que ser-
cap. 27. § XIV. uendum, quibus rebus finem nostrum æternamque beatitudinem
De Deo ho- voluit nos adipisci.
norando.

III.

Ephes 5. 1.
Isa. 42. 8.

3. Hinc aliud corollarium sequitur, tunc scilicet in nobis quoque non fore peccatum appetitum gloriæ, si in eo appetitu velimus Deo assimilari, juxta illud: *Estote imitatores Dei, sicut filij charissimi.* Assimilamur autem Deo, non quando id nobis arrogamus, quod est proprium Dei, excellentiam scilicet illius appetentes, aut eius testimonium, quæ soli Deo competit dicenti: *Gloriam meam alteri non dabo;* sed si quemadmodum ille gloriam ab hominibus quærit, non propter se quasi ea indigeat, sed propter homines; ita & nos vicissim gloriam quæramus, non propter nostram, sed propter Dei gloriam, aut proximum, eiusque vtilitatem. Hinc est illud: *Videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in calis est.* Itemque, *Luceat lux vestra coram hominibus.*

Matth. 5. 16.
ibid.

minibus. Quapropter non peccat, si quis bonum suum cognoscat, & approbet, cum Apostolus dicat: *Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est: ut sciamus qua à Deo donata sunt nobis.* Itaque non repugnat humilitati, quòd quis Dei dona in se agnoscat, inde enim se gratum illi exhibet. Vnde &, Mater Dei, quæ se ancillam Domini vocarat, sine vlla sui iactantia dixit: *Fecit mihi magna, qui potens est;* simul tam profundæ humilitatis, quàm altæ dignitatis mater: meritò æquiparanda prægrandibus obeliscis, quibus tantum ferme substernitur intra terram, quantum extat, ut immoti consistent: siquidem & illa fabricæ magnæ celsitudinis magnum quoque & firmum posuit fundamentum humilitatis. Talibus non obest, dona Dei in se magni facere; cum se ipsos faciant parui. Neque peccat, qui vult bona opera sua ab alijs sciri & approbari, ut illi inde Deum laudent, dicantque: *Et sanctum nomen eius;* & accendantur ad gratitudinis, alteriusvè virtutis imitationem. Hoc est enim lucere lucem nostram coram hominibus. Non est ergo vitium appetere gloriam, sed appetere gloriam inanem. Reprehendit enim Psalmista omnes, qui vanum aliquid appetunt, dicens: *Vt quid diligitis vanitatem, & quaritis mendacium?* Quale mendacium erat eorum, qui contra diuinam reuerentiam passi sunt se Deos appellari, quos Ezechiel ita alloquitur: *Eleuatum est cor tuum, & dixisti, Deus ego sum, & in cathedra Dei sedi in corde maris: cum sis homo, & non Deus, & dedisti cor tuum, quasi cor Dei.* Nempe ab illo hanc superbiam magistro homines didicerunt, qui, cum ipse cupiens ascendere, & similis esse altissimo, deiectus sit in Acheruntem, alios quoque postea voluit eadem illecebrâ inescare, quando dixit: *Eritus sicut Dij.* Promissio digna auctore suo, & tam fidelis, quàm Locrense pactum.

1. Cor. 2. 10.

Luc. 1. 49.

Psal. 4. 3.

Ezech. 28. 2.

Isa. 14. 14.

Gen. 3. 5.

CAPVT XXII.

Quando vana gloria ab hominibus appetatur? & num liceat desiderare Episcopatum?

Inc 4. Corollarium est contra vanæ gloriæ sititores; qui triplici classe continentur. Primò enim vana gloria est, si quis honorem appetat, de re nihili, quæ per mendacium fingitur, ut quidam milites gloriosi, qui à se hostes multos

I.